

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
QVAM
DE

RETENTIONE MERCEDIS FAMULI DOMINO PERMISSA

Supremo adjuvante NUMINE

ET

CONSENTIENTE INCLYTISSIMA FACULTATE JURIDICA
SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆ-NOBILISSIMI EXCELLEN-
TISSIMI atq; CONSULTISSIMI

DNI. JACOBI. *Barmon*

U. D. longè Celeberrimi, SERENISSIMI DUCIS REGENTIS
MEGAPOLITANI Consistorii Assessoris gravissimi nec non
Pandectarum Professoris Famigeratissimi,
IN ACADEMIA VARNIACA

publicè

AD DIEM XIII. MARTII ANNO MDCCXXI.

PRO OBTINENDIS SUMMIS IN UTROQUE


JURE PRIVILEGIIS ac HONORIBUS

ERUDITORUM EXAMINI

subiectet

GEORGIUS SEITZE,

jur. civ. U. Cand. & Canc. Mecklenb. Adv. & Proc. Ord.



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & UNIV. Typogr.

7,6
P. 11. 280.

DISSERTATIO JURIDICA IN AUSTRIAS
1770

ABREVIATIONE

IN AUSTRIAS

DOMINO PERMANENTIA

diplomatico negotio

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE

AVUSTRIAE



PROOEMIUM.



*E*liberanti mihi, quamnam, ex longe lateque se diffundentibus Juris quæstionibus, materiam Inaugurale aliquod conscribendi thema eligerem, tot mihi occurrere, ut difficilis sanè mihi reddita fuerit optio. Instans alii, non Dissertationem sed Tractatum me conscribere debuisse deprehendi, convertens me ad aliam puram illam theoriam concernere perspexi. Diu hæsitans, materiam a-

A 2

liqua-

liqualem practicam pro instituti
mei ratione tandem selegi: de Reten-
tione mercedis Famuli Domino
licita. Brevitati studui, & or-
dinem simplicem observavi, ceu di-
ctum, pro instituti ratione & tempo-
re. Caput (I.) est de Retentione
mercedis in genere, [2.] in qui-
bus casibus retentio locum habeat.
[3.] in quibus non, [4.] de effectu re-
tentionis mercedis. [5.] de Remediis
quæ Domino competunt, si famulus
mercedem jam acceperit, & sic Do-
minus retentione mercedis sibi
consulere nequeat. Sin minus rectè
quid scriptum, hominem me B. L.
benignè judicabit.

Faxit summus feliciter!

CAP. I.

CAPUT I. DE

Retentione Mercedis in genere.

SUMMARIA.

- [1.] *In verba jam nota pluribus in-
quirere inutile.*
- [2.] *Explicatur Vox retentionis.*
- [3.] *Vox Mercedis.*
- [4.] *Famuli.*
- [5.] *Domini.*
- [6.] *Licita.*



Um utilitatis parum ^{1.}
afferat, in enodanda vocum, quæ
jam per se claræ ac notissimæ, o-
rigine, earumque homonymia,
pluribus tempus perdere atque
chartam, & nos, paucissimis
tantum verbis hocce caput per-
currendum duximus.

Quid enim (1.) verbum ^{Re. 2.}
retentionis involvat, undeque descendat, manifestum
est, à præpositione nimirum *re* & Verbo *tenere*, ger-

manicè, zurückhalten / einbehalten. Homonymia
verbi quoad nostrum casum æque facile ostendi potest,
si distinguamus inter retentionem injustam, quo sen-
su etiam furtum sub ea comprehenditur, sive illud
rei sit, sive usus, & justam, uti nosmet illam accipi-
mus, seu pro compensatione debiti, vel alterius obli-
gationis, qua aliquis mihi est obligatus, cujus justi-
tiam caput sequens vel ex eo tantum docebit, quod
retentioni locum non esse asseramus, nisi ubi lex il-
lud expressit, per *L. ult. C. Commod. &* quod compen-
satio reapse sit solutio, eoque casu locum habeat reten-
tio *L. 3. C. de Compens.* ut reliquas retentionis justitiæ
causas in Caput sequens differamus. Et ex paucis
hisce Synonymiam vocis adducere supervacuum erit,
explicata mente nostra, quod retentionem nostro ca-
su pro specie compensationis & solutionis accipiamus.

Vox mercedis derivatur à merendo, ver-
3. bum verò mereri involvit, quod dignus quis sit
aut præmium accipere, aut pœnam pati. Nos-
met priori sensu vocem mercedis hic intelligi
volumus. Si secundum vulgi loquelam in sensu la-
tissimo accipere vellemus, etiam denotaret salari-
um, honorarium. Sed cum diversa in jure pro-
dita sint remedia ad mercedem & honorarium
consequendum, acceptioni mercedis, ceu in-
dubitatae, non immorabimur, cum differentia mer-
cedis & honorarii ex eo pateat, illud tantum adden-
tes, quod nihilominus inter officia majora legibus-
que

quæ privilegiata , & minora distinctionem admitti posse non negemus , prout mox sequetur. Merces nimirum in sensu strictiori illis tantum debetur , cujus operæ manuum sc. mercenariæ in nos redundant , & ex artibus illiberalibus proveniunt. Honorarium autem & merces in eo differunt , quia illud Principum Ministris , Professoribus , Advocatis , Medicis &c. non in compensationem operarum , sed grati animi declarationem solvitur , cum eruditio sit inæstimabilis.

Vox famuli à famulatio descendit , quod idem **4.** denotat , ac servitium , à servire , dienen. Quod cum satis notum , ab hoc abstrahimus , nec reliqua ulterius perscrutari necessum ducentes cum in superfluis tempus terere odiosum. Addimus igitur nihil , quam quod famuli vox non alium involvat significatum , quam quod ille sit famulus ; qui servitia promissa Domino præstat , ex artibus illiberalibus provenientia. Alias verbum famuli usurpari constat , quando erga superiorem submissionem contestamur , licet non famulitium propriè dictum præstemus , hanc verò acceptionem non intelligimus sed quando operis manuum & ipsis factis famulus characterem suum confirmat. Vocem Domini quod attinet , originem hæc trahit à voce Domus. Siquidem enim **5.** ille , qui Domui præest , & familiam habet , in quam imperium sibi competens exercet , non accuratius quoddam sibi nomen vindicare potest , quam ejusmodi ex

di ex Dominio profluens. In sensu Juridico Dominus ille est, qui aliquod in Jure Dominium, sive verum vel quasi sibi appropriat, & exinde cum effectu agere potest. Ut autem hanc explicationem quisquam in nostro casu ratione retentionis mercedis impugnet, ex eo, quod quoad nostrum casum nostri servi sint liberi, illis hoc quidem concedimus, sed cum addito, quod nihilominus hodiernis Dominis modica in servos hodiernos remanserit castigatio, reliquaque etiam beneficia Juris, quæ in liberos homines competunt, contra servos competant, quò etiam retentionem referimus & quoad casum nostrum, retentionis mercedis, ex illa non inferatur dominium in sensu strictiori secundum Jus Romanorum sumtum, vi cuius & vitæ necisque Jus Dominis competebat, sed retentio mercedis sit beneficium Juris. Ulteriore explicationem alias de verbo Domini afferre inutile, cum & dupondio, illa constet, & synonyma insuper ejus itidem sat nota, ut Herus, Dominator, Magister, Defensor, Protector. Id modo notandum, quod Defensor & Protector majorem involvant potestatem, & plerumque iis, qui imperiis præsent, competant. Contra autem, Herus, Dominus, Magister, etiam sub termino germanico, Herren comprehenduntur, licet longè ab antea recensitis, ratione potestatis, differant, in uno tamen tertio conveniunt.

6. *Vox licita* quid denotet cum nemo sit, qui ignoret, sc. idem, quod permissum, ut explicetur superfluum

fluum erit, accedentibus tot juris materiis ac textibus, in quibus hæc vox occurrit, & in quibus exponitur, quæ licita de jure sunt, quæve illicita. Paucissimis tantum verbis addam, unde originem trahat retentio & in quo se fundet, quo justitia ejus evidenter appareat. Fundat autem se retentio tam in jure naturali, quam civili. Cum enim sui ipsius conservatio pro tenerrimo sui ipsius amore cuique jam sit injuncta, utique illud, quod nostrum est, non perdere, sed persequi, quippe quo ad vitæ hujus, proximique egeni conservationem carere non possumus, simul permissum, habita tamen circumstantiarum debitoris nostri, æquitatisque semper ratione, ne hoc jure abutamur, pensitantes, cum jactura bonorum interdum proximo esse ignoscendum.

Quod in Jure civili fundata sit retentionis Jus, de eo ex innumeris fermè textibus proferam unicum, qui & in capitis sequentis initio inter alios plures adductus est, nimirum: Ubi compensatio admittitur ibi etiam locum habet retentio. *L. ob negotium 20. de Compens. l. 3. C. eod.* Ultimo, quid sit retentio, annectam & claudam caput. Describi autem potest, quod sit remedium & beneficium Juris, vi cujus aliquis alterius sibi obligati rem, quocunque modo justo possidet, ob faciliorem persecutionem retinere, sicque debitum obtinere potest. Jam quidem descriptionem

B

hanc

hanc ulterius evolverem, & enodarem; ast cum brevitati pro instituto meo studui & in sequentibus pertractata materia, quæ eo collimat, satis ea innotescet, hic loci illud omittere constitui.

CAPUT II.

Ex quibus causis Dominus mercedem famuli retinere possit.

SUMMARIA.

- (1.) *Hodie inter Dominum & servum, sublata servitute, verus initur contractus, & utriusque inde datur actio.*
- (2.) *Inde dominus regulariter mercedem famuli retinere nequit.*
- (3.) *Retentio est species privatæ executionis, a qua regulariter non incipiendum.*
- (4.) *Dantur tamen casus in quibus retentio locum habet, ut si*
- (5.) *Iusta subsit causa & lex illam expresserit.*
- (6.)

- (6.) *Adducuntur aliqua exempla.*
- (7.) *Ex illis conclusio fit ad dominum, quod & illi hoc jus competat.*
- (8.) *Rationes juris retentionis adducuntur.*
- (9.) *Recensentur casus aliqui, in quibus retentio mercedis famuli locum habet, ut*
- (10.) (1.) *Si famulus domino sit obæ-ratus.*
- (11.) *Retentio est compensatio.*
- (12.) *Hac creditor pro suo debito uti potest.*
- (13.) *Modo titulus sit justus.*
- (14.) (2.) *Dominus retinet mercedem ob impensas tribus potissimum casibus recensitis.*
- (15.) *Quod casum primum rationes dubitandi & ampliaciones recensentur.*

- (16.) *Adstipulantur huic asserto jura communia.*
- (17.) (3.) *Dominus retinet mercedem si ante tempus contractus servus discedat.*
- (18.) *Adducuntur consentientes ordinationes Mecklenburgicæ.*
- (19.) (4.) *Dominus retinet mercedem ob furtum & damnum.*
- (20.) (5.) *Ob impensas ratione indemnitate gestæ tutelæ.*
- (21.) *Recensiti casus etiam ad alios applicari possunt.*
- (22.) *Concluditur in genere, quod in omnibus casibus in quibus retentio locum habet, etiam Domino ea competat.*

1. **L**icet inter dominum & servum hodiè sublata servitute, verus contrahatur contractus, sicque utrique inde detur actio, & quidem servo ad consequendam mercedem, indeque regulariter dominus mercedem famuli retinere servoque denegare nequeat, etiam dubium non subsit quod retentio

tentio fit species privatae executionis *Carpzov. Part. 2. 3.*
Const. 125. Definit. 20. n. 1. a qua regulariter non inci-
piendum; attamen cum in jure nostro plurimi den-
tur casus, in quibus retentio locum habet, si scilicet 4.
justa subsit causa & quando Lex illud expressit, etiam 5.
domino retentionem mercedis famuli ob justas causas
competere asserimus; Uti enim v. g. sartor retinere
vestem potest ob non solutam mercedem, Advocatus
acta ob non solutum honorarium. *Brunn. ad L. 25. ff.*
De Procurat. n. 10. Uti marito ob impensas necessarias
in dotem factas retentio conceditur *L. 15. ff. de impens.*
in rem dotal. factis, *L. 30. ff. de Act. empti*, commodata-
rio in casu, si res commodata deteriorata *L. 15. §. fin.*
de furtis, depositario. *penult. C. Depos.* Illi, qui expen-
sas fecit in re aliena, *Menoch. Remed. recup. poss. II. n. 9.*
& in jure plura alia occurrunt exempla, in quibus
retentio locum habet, sic etiam domino ob justas cau- 6.
sas, quarum potissimas hoc tantum capite adduximus, 7.
cum tam illae recensitae, quam reliquae ad casus jam
allegatos referri possint, retentio competit. Ra- 8.
tiones quare jura retentionem concedunt, sunt in-
promptu, facilius enim indultum est, ut aliquis reti-
neat, quod jam habet, quam ut consequatur, quod
non habet. *L. 5. ff. de R. J.* faciliusque retentio, quam
petitio conceditur *L. 1. ff. de Pignor.* cum illa favorabi-
lior sit. *L. 4. C. de Usur.* & sic multa Processus incom-
moda evitantur. Inde etiam in ipsa aequitate natu-
rali fundata ea esse dicitur. Sed cum ratio haec sit
B 3 clara

clara, in ea prolixius enucleanda, non immorabor; sed potius ad casus aliquos, in quibus dominus famuli mercedem retinere potest, me convertam, illos, qui adhuc plures dantur, (cum omnes huc referri non poterunt,) præteriturus. Sic (I.) retinere Dominus mercedem famuli potest, si famulus domino sit obæ-
ratus. Ut enim Dominus inde habeat actionem, ob adductas tamen supra rationes facilius sibi consulere Dominus, suamque consequi potest, si per modum retentionis de interesse suo vigilet, & sic per modum compensationis, cum hoc casu locum habeat retentio
L. 3. C. de compensat. L. 20. ibid. hæc autem est compen-
satio L. 4. C. de petit. hered. Mev. P. 2. §. 5. n. 5. quâ cre-
ditor pro suo debito uti potest L. 7. C. de Pact. ex quo-
nam etiam titulo (modo justus sit) obligatio oriatur, five ex titulo emti, (quo casu dominus rem venditam nondum soluto pretio, retinere potest L. 22. C. de Hered. vend. L. 50. de act. emt. L. 31. §. 8. de adil. Edict: L. 31. §. 7. de Reb. cred. & sic per consequentiam, si res vendita jam tradita & non amplius existet, mercedem;) five ex alio titulo, aliisque causis, de quibus in sequentibus, quos casus omnes ratione retentionis eo usque etiam extendimus, ut retentio locum habeat non in mercede tantum, sed aliis etiam rebus, ut ad retinentem res retinenda occasione tantum debiti pervenerit, licet non fuerit oppignorata Brun. ad L. 26. ff. cond. indeb. n. 30.

(II.) Re-

(II.) Retinere dominum mercedem famuli posse^{14.}
ob impensas in curationem famuli factas in tribus po-
tissimum casibus asserimus, & quidem (I.) si impensæ
sint magnæ, & Dominus magnum exinde sentiat dam-
num (2.) si dominus impensas adhibuerit in mor-
bum servi, quem servus propria culpa sibi attraxit,
(3.) si famulus post contractum conductionis ante-
quam servire incipit, in morbum incidat. ^{15.} *Quam-*
vis enim quoad casum primum dubitari possit, quod
nihilominus famulo integra debeatur merces, quod
asserendum videtur ex L. 45. ff. de Usufr. L. item si servi
§. quas impensas ff. de adili: Edict. & damnum hoc, sc.
morbis haberi possit pro casu fortuito, qui à nemine
præstatur C. 23. ff. de R. J. cum per famulum, tanquam
debitorem, non steterit, quod ob morbum servitia
non præstare potuerit, sicque illa pro præstitis habenda
C. 161. ff. de R. J. in tantum ut nec dominus etiam ad
servitia, finito morbo, supplenda, nachjudienen / ser-
vum adigere possit, neque durante morbo, cogere ut
alium substituat, Tiraqvelt. in L. boves §. hoc sermone n.
63. de P. S. attamen si impensæ adeo magnæ sint, ut do-
minus maximum inde senserit damnum, æquum
omnino ducimus, quod domino impensæ sint resti-
tuendæ illeque inde mercedem retinere possit, & eo-
usque allegatæ antea leges tantum intelliguntur di-
stinguendo sc. inter modicas expensas & magnas Vid.
Mev. ad J. Lub. P. 3. Tit. 8. Art. II. n. 16. 17. 18. ibique alle-
gati

gati DDres. Quænam autem magnæ vel modicæ dicantur expensæ, hoc dijudicandum ex qualitate personarum, & hoc prudentis judicis arbitrio est relinquendum, *Menoch. de A. J. Q. Cas. 127. n. 12.* Ratio æquitatis eo manifestior apparet, si morbus servi adeo fuerit periculosus, ut, non adhibitâ curatione, vitam, quâ ex indito jam sui ipsius amore homini nihil carius ac pretiosius perdere debuisset, quippe cum vitam & sanguinem quocunque modo redimere jura concedunt, cujus ratio petitur *ex L. 1. §. 1. ff. de bon. eor. qui mort. sibi conscir*: vel servus usum membrorum, quibus victum sibi quærere debet, alias amisisset, quod utique ipsi vitæ æquiparandum, unde etiam, svadente æquitate, non improbanda illorum locorum consuetudo, quæ Domino ob magnas impensas restitutionem concedunt. Absit tamen, ut dicta hæc absolute ad Dominos opulentos & divites extendi velimus. Ibi enim, si æquitatem, quæ semper attendenda, & strictum jus conferamus, ex æquitate potius concludimus, quod Dominus benè faciat, si, non obstantibus impensis, integram mercedem famulo exsolvat, considerando, DEum ejusmodi egenis præstiti auxilii largissimum remuneratorem esse, id quod charitati Christianæ etiam tribuit *Dn. Lauterb. ad Tit. de locat. §. 1. & 23. vid. Brunn. ad l. 4. ff. de statu liberis.* Quoad casum secundum, si sic; famulus propria culpa damna & impedimenta sibi contraxerit, ut, si in cauponis vel

vel alibi inter rixas & turbas, ubi abesse oportebat, vulnera acceperit, rectè cum *Dn. Mevio P. 3. tit. 8. art. 11. n. 19.* asserimus, quod talem famulum misericordiam impetrare iniquum foret, ita ut dominus nec ad medicamina teneatur, sed justissimè etiam mercedem ob neglecta servitia retinere possit, quod eo usque etiam extendimus, ut etiam de omni interesse domino teneatur. Huic enim sententiæ jura nostra communia adstipulantur, dum famulus id commisit, quod committere non debebat, & circa suum ipsi demandatum officium deliquit, sicque etiam damnum resarcire tenetur, præprimis, si dominus nullam in famuli electione culpam commisit *L. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. Mev. ad. 7. Lub. P. 3. Tit. 3. art. 1. n. 27.* & tunc servus damnum sibi ipsi imputet, per regulam illam famosissimam: damnum quod quis sua culpa sentit, non sentire videtur *c. damnum 86. de R. J. in 6to* Culpa autem est immiscere se rei ad se non pertinenti. *C. 36. ff. de R. J.* Rectè dominus retinet mercedem famuli, si famulus post contractum conductionis, antequam servire incipit, impediatur, servire, vel in morbum incidat. Quamvis enim hic contractus nudo perficiatur consensu, ex parte servi tamen contractus non est adimpletus, & dum aliunde impeditur, famulo nulla debetur pro isthoc tempore merces *Confer. Mev. P. 3. T. 8. art. 11. n. 14.*

III. Dominus retinet mercedem, si famulus
ante finitum conductionis tempus ex servitio discedat
C sine

sine consensu Domini, sive spontè id faciat, sive ab aliis instigatus. Non enim contractum inire debuisset quem adimplere non voluit, & merces non debetur, nisi finito tempore *Vid. Brunnem. ad L. 1. ff. de migrando n. 3.* Consentit cum hoc Jure communi die

18. Mecklenburg: Policeny Ordnung de Anno 1672. Tit. von Dienstboten und Lohne des Gesindes §. der Dienstbotte aber / so sich aus dem Dienste ohne seines Herren Vorwissen und Wissen auffreden liesse / der soll seines Dienstes Lohns verlustiget seyn / und daselbst jemand anders zu dienen nicht gelitten werden / confirmat porro id ipsum §. sequens allegatæ Ordinationis, wann auch ein Dienstbotte ausserhalb der Zeit ohne rechtmäßige Ursache sein Urlaub selbst nimbt / so soll ihm der Herr oder die Fraw jenigen Lohn zu geben nicht schuldig seyn / ex quibus rectè infertur, dominum illum famulum revocare, & ad adimplendum contractum agere posse. Idem dispositum in der Mecklenburg: Gesinde- und Tagelöhner Ordnung de Anno 1654. Tit. 3. Vom Gesinde- und Dienstbotten §. 2. Wann auch ein Dienstbotte ausserhalb der Zeit etc. secus tamen esset si ex justissima & in jure approbata causa famulus ante finitum tempus sinè sua culpa discedere cogatur, desuperque Domini consensum expetat, quo casu ex æquitate dominus pro rata temporis mercedem ipsi denegare nequit, de quo in capite sequenti.

19. IV. Retinere Dominus mercedem famuli potest, si ipsum furtum vel damnum intulerit. Uti

ti enim illo casu domino competit actio, ita etiam
retentio. Actio furti enim domino competit, eò ma-
gis, dum à domestico fure aliquis sibi minus cavere
potest. Ratione damni agere ex L. Aquilia potest,
ergo si datur actio, etiam locum habet retentio. Uti
enim gravius peccat domesticus fidem frangens, *vid.*
Brunn. ad L. II. ff. de Poenis, tamen distinguimus cum
Dn. Brunn. all. loco inter furta domestica viliora & gra-
viora. Viliora publicè in furto domestico non sunt vin-
dicanda juxta allegat: ibidem autores, graviora ea-
dem pœna afficiuntur, quâ alii fures plectuntur.
Retentione sic in casu delicti, uti est furtum, locum
habente, eo magis locum habebit, si famulus ob deli-
ctum aufugiat, quo casu mercedem petere non potest,
sed ad interesse etiam tenetur, *arg. L. I. C. de serv. fugit.*
Et ita etiam in damno, quod secundum jura commu-
nia famulus utique resarcire tenetur, si circa res do-
mesticas culpa sua intulerit.

(V.) Retinet Dominus mercedem si tutor famu- 20
li sit, & redditis rationibus indemnitate ratione ge-
stæ tutelæ consequi non possit. Cum enim per jura
communica cuivis tutori inde datur actio tutelæ con-
traria L. I. §. I. ff. de contrar. Tutel. act. ita nec domino
famuli illa deneganda, & per consequens nec retentio
ratione consequendæ indemnitate gestæ tutelæ.

Plurimi satis adduci casus possent in quibus reti- 21
nere Dominus mercedem famuli potest, ast cum bre-
vitate rationem habeam, & eos potissimum adducere

C 2

animus

animus sit , qui frequentius ratione famuli accidunt, recensiti sufficere possunt, præprimis ubi reliqui, eo etiam applicari poterunt. Quæ supra dicta de debito famuli, ad omnia debita, modo justa sint ac liquida, extenduntur, ex quocunque oriantur titulo, cum cuivis Creditori jura concedant actionem, sicque etiam retentionem. Sic quod supra de impensis in curam famuli dictum, extenditur ad impensas quas- cunque, cum ex retentione ordinarium sit remedium expensas & melioramenta servandi *Mev. Part. 1. Decis.* 22^{128.} num. 5. per *L. in fundo ibi allegatam 38. ff. de Rei Vind.* & sic in reliquis. Unde generaliter concludimus: In quibus casibus jura aliis concedunt retentionem, & ubi ea locum invenit, ibi etiam datur Domino.

CAPUT. III.

Ex quibus causis Dominus famuli mercedem non possit retinere.

SUMMARIA.

- [1.] *Locum non habet retentio mercedis, si debitum famuli sit liquidum.*
- [2.] *Adduntur rationes.*
- [3.] *Quotupliciter liquidum dicatur.*
- (4.) *De*

- [4.] *De jure stricto retentio ratione
expensarum locum habet cum distin-
ctione inter modicas & magnas.*
- [5.] *Ex æquitate Dominus eas non
retinet.*
- [6.] *Adducuntur rationes ex sacris.*
- [7.] *Dicta tamen limitantur.*
- [8.] *Et eum in finem adducitur au-
toritas Dn. Mev.*
- [9.] *Non obtinet retentio si Dominus
in culpa fuerit ex qua famulus in
morbum incidit.*
- [10.] *Nec ob sævitiam.*
- (11.) *Vel subtractionem necessarij victus.*
- (12.) *Locum non invenit retentio, si Do-
minus famulum ante finitum tem-
pus expellat.*
- (13.) *Adducitur ratio.*
- (14.) *Confirmat hoc die Mecklenburg:
Gesinde- und Tagelöhner-Ordnung.*
- (15.) *Item die Policer-Ordnung.*
- (16.) *Ob debita famuli aliena non reti-
netur merces.* (17.)

- (17.) *Ratio ejus.*
- (18.) *Limitationes rationis*
- (19.) *Ratio limitationis.*
- (20.) *Quæritur : an ob delicta famuli
retentio mercedis locum habeat.*
- (21.) *Distinguitur , an circa vel extra
officium deliquerit.*
- (22.) *Si circa officium affirmatur , si
extra officium, negatur.*
- (23.) *Ob arrestum dominus ratione re-
siduæ mercedis tenetur.*
- 24.) *Propter morbum servi retentio
mercedis locum non invenit.*
- (25.) *Ratio ejus.*
- (26.) *Restringuntur dicta.*
- 27.) *Ad textum obstantem respondetur.*
- (28.) *Si ex legitimo impedimento famu-
lus ante finitum tempus discedere
cogatur, retentio locum non habet.*
- (29.) *Adducuntur aliquæ causæ.*
- (30.) *Judicis arbitrio illæ relinquuntur.*
- (31.) *Famulus illam causam probare
debet.*
- (32.)

- (32.) Si famulus justo tempore resignet
& discedat, retineri merces nequit.
- (33.) Justum illud tempus secundum
locorum consuetudinem judicandum.
- (34.) Extenditur hæc resignatio ad o-
mnia legitima impedimenta.
- (35.) Fit remissio ad casus reliquos &
conclusio.

Quæ hætenus in Capite præcedente dicta, eate-
nus tantum intelligimus, quatenus,

(I.) Debitum famuli sit liquidum. Juris I.
enim notorii est, quod illiquidi cum liquido nulla sit
compensatio. Liquidum enim non debet retardari 20
propter illiquidum *L. rationem §. ff. de statu liberis 2 F 20.*
de Controvers. inter Episcopum & Vasallum §. sed si constite-
rit. Trentler. Vol. 10 D. sp. 25 Th. 8. lit. G. Joseph. Ludo-
vici Dec. Perus. 15. n. 15. Uti enim in jure nostro in fe-
rendis sententiis casus in causis illiquidis omnes eo de-
terminant, ut liquidum ab illiquido separetur, ita
etiam hoc casu, si creditum Domini sit illiquidum,
dominum mercedem retinere non posse, omnino asse-
rimus, *per supra deducta & jura notoria.* Detentio-
nem autem mercedis in liquidis tantum locum habere
pluribus deduxit *Dn. Mev. P. 7. Dec. 7.* Illiquidum au-
tem dici non posse, quod in continenti, hoc est, bre-
vi spatio, liquidum fieri potest, dicit id; *Mev. P. 5. Deco*

133. n. 3, ubi eo casu retinentem audiendum esse statuit.
Propter illiquida enim & controversa jus retentionis
cessat *Mev. p. 2. D. 115. n. 8.* Quotupliciter autem li-
3 quidum quid diatur, sc. quod constat ex confessione
partis, seu genere quæstionis facti aut Juris, quod
semper certum, & denique ex celeritate probationis,
de eo *Vid. Zanger. P. 3. de Except. n. 95.*

(2.) Quoad casum in capite præcedente allega-
4 tum, quod sc. dominus mercedem famuli ex causa, si
impensæ in curationem adhibitæ sint magnæ, retinere
possit, distinguimus inter jus strictum & æquitatem,
quæ tamen æquitas nihil operatur, nisi circumstantiæ
vel ex parte Dni, vel ex parte servi, aliud suadeant. Utur
enim dominus de Jure stricto retinere mercedem possit;
5 æquitate tamen suadente (præsuppositis sc. necessariis
circumstantiis) asserimus, quod retinere non possit,
præprimis cum sacri canones eam æquitatem innuant
6 *confer. Text. Exod. 3. v. 7.* ubi Jova sic loquitur: Vidi
afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus
audivi propter duritiam eorum, qui præsumunt operibus.
Ex quo textu omnino inferimus: Nosmet ceu Christi-
anos, recordari debere, quod misericordiam, erga Chri-
stianum exercere debeamus, sicque mercedem famulo
ob impensas in curationem factas denegare nequea-
mus. Innuit hoc ipsum v. 4. Jacobi 5, ubi expres-
se dicitur: Merces ipsa mercenariorum, qui vestros
messuerunt agros, à vobis retenta, quiritatur, mello-
rumque querelæ in Domini armipotentis aures pene-
trarunt.

trarunt. Ergo Dominus famulo necessaria ad vitæ
hujus conservationem suppeditare mercedemque sol-
vere ex æquitate christiana debet. Deut. 25. v. 14. 15.
Matthæi 10. v. 10. Hæc autem omnia eo tantum ex- 7
tendi volumus, si famulus, uti præcedente capite di-
ctum, propria culpa morbum sibi non attraxerit, vel
circumstantiæ domini, forsan egeni, vel gravitas mor-
bi aliud suadeant.

Eleganter itaque monet *Mev. ad J. L. lib. 3. 8*
T. 8. art. 11. n. 18. talem esse hanc quæstionem de impen-
sis in curam famuli adhibitis, quæ ad æquum Judicis
arbitrium referenda, ut non modo quantitas impensa-
rum, sed etiam conditio domini & servi æstimetur, &
secundum hæc judicetur. Unde

(3.) Dominus retinere mercedem non potest, si 9
ex parte illius culpa adsit, ex qua famulus in morbum
inciderit, nimirum per sævitiam & crudelitatem Do- 10
mini, cujus speciem esse inquit *Mev. ad J. Lub. Lib. 11*
3. Tit. 8. art. 5., si Dominus famulo necessarium victum
non porrigat, in quo tamen non statim famulo creden-
dum esse dicit, nec ille statim ideo discedere potest,
sed prius apud Judicem conqueri debet, qui nec deli-
catum famulum, nec durum dominum audiet. Uti e-
nim Reipublicæ interest, ne quis re suâ male utatur,
§. 2. Inst. de Patr. potest. ita eo magis dominus argui
potest, si famulo per sævitiam abutatur, quo casu jura
asserunt, quod etiam dominus Jurisdictione privari
possit; præprimis si admonitus non desistat *Gail. lib. 1.*

D

O. 17.

O. 17. n. 2. quæ admonitio communiter præmitti solet
Brann. ad L. 2. ff. de his qui sui vel. alien. jur.

12 (4.) Dominus retinere non potest mercedem, si ante finitum tempus locationis famulum sine justa causa expellat. *Argum. l. 38. ff. locati. Carpz. P. 2. Const. II. Def. 13. n. fin.* Cum enim hic contractus utriusque consensu fit initus, unius dissensu dissolvi nequit.

13 Nihil enim tam naturale est, quam eo genere quid dissolvi, quo colligatum est L. 35. ff. de R. J., & contractus sit irrevocabilis L. sicut ab initio 5. ff. de O. & A.

14 l. 3. Cod. de R. V. Confirmat hoc ipsum §. 3. der Mecklenb. Gesinde und Tagelöhner-Ordnung / Tit. 3, ubi verba: Da entgegen/ Wann ein Herr oder Frau sein Gesinde/ ehe es ausgedienet / verurlauben würde/ und das Gesinde vermeinte/ es hätte dazu nicht Ursache gegeben; so soll es solches den Gerichtshabern der Dörter anzeigen / welche/ wann sie befinden / daß ohne erhebliche / redliche Ursachen das Gesinde erlaubet worden/ den Herren/ oder die Frau dahin halten sollen / daß sie den Dienstboten/ so dergestalt vor der Zeit geuhrlaubet worden / ihren Lohn vor voll geben und entrichten sollen / cum quo consentit die Mecklenb. Pollicey-Ordnung / Tit. Vom Dienstboten und Lohne des Gesindes / §. Darentgegenw. wann ein Herr oder Frau sein Gesinde ehe dann es ausgedienet/ verurlauben würde ꝛ. Secus ergo est, si Dominus justam causam habeat, ob quam famulum expellere potest, uti v. g. ob morbum contagiosum. *Mev. ad J. Lub. lib. 3. Tit. 8. art. II. n. 18.*

(5.) Do:

(5.) Dominus non retinet mercedem famuli ob
debita aliena à famulo contracta, quia hodie famuli
re vera sunt liberi. Jus enim tertii non potest opponi
ab alio, si ipse tertius ea de re non fuerit conquestus.
Bart. in L. 2. ff. de Except. rei judic. Roland. a Valle 2. Conf.
57. n. 10. Alteri enim per alterum non debet iniqua
conditio inferri *L. non debet 74. d. R. 7.* Secus ergo est,
si a Magistratu domino per arrestatorium retentio mer-
cedis injungatur. Idem dicendum, si famulus ex con-
tractu alii sit obligatus, quod nec dominus ea propter
mercedem retinere possit, quia dominus ex contractu
servi non obligatur. *L. 11. ff. de O. & A. L. 38. §. 7. ff. de*
V. O. L. 1. C. Ne fil. pro Patre. Secus tamen esset si inter-
esse domini subesset, ut si famulus simul sit institor,
dominique res administraverit, vel mandatum ad con-
trahendum famulo dederit, *arg. L. 1. pr. ff. Quod jussu.*
Cum enim his casibus contrahentes contra dominum
habeant actionem, dominus vicissim sibi per retentio-
nem mercedis, si famulus quidquam neglexerit,
prospicere potest.

(6) Si quærat, an retentio mercedis locum ha-
beat ob delicta famuli, distinguendum esse statuimus;
an famulus circa servitium, vel extra servitium deli-
querit. Si circa officium, utique domino retentio
competit, uti in capite præcedente dictum, cum ser-
vus tunc teneatur ad restitutionem damni *L. 1. §. 5. ff. de*
Publician. L. 21. pr. ff. locat. Hahn. in Observ. ad Wesenb.
Tit. de noxal. act. in fine. Sin vero extra servitium ser-
vus

21 vus delictum perpetraverit, retentio domino dene-
 gatur, quia hoc casu magistratui in servum, ceu libe-
 22 ram personam, competit Jurisdictio. Sunt enim liberi
 homines, qui legitimam standi in judicio personam
 habent, nec ita, ut olim, unam eandemque personam
 cum dominis habere finguntur. *Mev. ad J. Lub. lib. 3. tit.*
8. art. 7. n. 11. Stamlerus de Serv. person. lib. 1. c. 2. n. 3.
 Quamvis enim adhuc hodie dominum ob delicta & fa-
 cta famuli, ratione residuæ mercedis teneri asserunt,
 23 tamen hoc aliter non intelligendum, quam si residuæ
 mercedi à Judice impositum sit arrestum, *vid. Hopp. ad*
Tit. 4. Inst. §. 5. in U. M.
 24 (7.) Merces retineri non potest, si famulus propter
 adversam valetudinem servire impediatur, cum servire
 25 non desinunt, qui servire cupientes impediuntur, sicque
 cum *Dn. Brunn. ad L. 4. ff. de statu lib. putamus, servo ægroto*
 integram deberi mercedem, quod etiam asseritur *ex*
l. 38. ff. locat. L. 13. ff. de ann. legat. Confer. etiam Coler.
de Proc. execut. P. 1. c. 9. n. 72. Mev. ad J. Lub. lib. 3. Tit. 8.
art. 11. n. 11. sqq. Idem Mev. ad J. Lub. lib. 8. Tit. 6. art. 11.
 26 Quamvis hæc eatenus tantum extendimus, uti capite
 præcedente dictum, si scil. impenlæ sint modicæ, &
 Dominus dives, cum æqvitatæ præcipua habenda sit
 27 ratio *per L. 8. Cod. de Judiciis*, cum per famulum non
 steterit, quod contractum adimplere non potuerit. Ob-
 stare quidem videtur *L. 15. §. 16. ff. locati*, ex quo colli-
 gunt, quod integra merces, nec hoc casu famulo de-
 beatur, sed *Dn. Mev. allegato l. n. 14. respondet, il-*
 lum

lum textum non loqui de iis, qui cœpto & durante servitio in calamitatem incidunt, sed qui post contractum conductionis, antequam servire incipiunt, impediuntur, de quo casu jam in capite II. egimus.

(8.) Si famulus ante finitum tempus ex servitio, 28
ex impedimento legitimo & justa causa discedere cogatur, Dominus mercedem retinere non potest, sed pro rata temporis, quo serviit, exsolvere tenetur *Cpx.*
P. 2. Const. 51. D. 13. v. g. Si famulo conditio matrimonii 29
eveniat. Mev. ad J. Lub. lib. 1. Tit. 4. art. 5. Idem. Lib. 3. Tit. 8. art. 5. n. 34. Quo loco etiam eò refert, si famulo munus tutelæ imponatur, quia utilitas publica præferenda est privatæ. *L. utilitas 3. Cod. de Primipilo. L. Jubemus 10. Cod. de S. S. Eccles.* quod hodie ad omnia munera publica, si legitima contingat vocatio, extenditur. Imo in genere quævis causa, quæ famulum sine facto, aut culpa sua impedit, ut debitas operas præstare non possit, huc referri potest *L. qui operas ff. locati.* Sed cum omnes illæ causæ determinari nequeant, illæ Judicis arbitrio re- 30
linquuntur. Id tantum adhuc addimus, quod famulus, causam impedimenti allegans, cum hoc in mero 31
sæpius facto consistat, eam probare, vel saltem demonstrare teneatur. *L. 1. Cod. de Probat.* Id quod testibus, documento, aut testimoniis fieri potest, ut si medicus per literas de morbo testetur. *Zanger. P. 2. de Except. cap. 9. n. 12.*

(9.) Sic nec retentio locum habet, si famulus 32
justo tempore famulatio resignet, & post renun-
tationem

tionem rectè factam discedat. *Mev. ad J. Lub. lib. 3. tit. 8. art. 5. n. 41.* circa quam resignationem, an tempe-
33stivè & justo tempore facta sit, cujusque loci & civi-
tatis consuetudo spectanda est. Et hoc casu, uti & in
34omnibus iis, in quibus famulus ex justa causa servi-
re impeditur, famulis conceditur, ut ex rebus Domini
tantum subtrahere liceat, quantum debetur, nec fur-
35tum committant *Mev. d. l.* Essent quidem alii adhuc
casus, in quibus retentio mercedis locum non invenit,
ut v. g. in debitis futuris, quæ ad illiquida referuntur.
Sed cum omnes isti ad jam recensitos casus trahi pos-
sunt, distinguendo sc. an Dominus vel famulus in culpa
fuerit, an Dominus justam retinendi mercedem causam
habeat vel non, an præsentio Domini liquida sit vel
illiquida, & quæ plura alia adduximus, illos omitti-
mus, de effectu retentionis mercedis jam acturi.

CAPUT IV.

De effectu retentionis mercedis.

SUMMARIA.

- (1.) *Ubi compensatio locum habet, ibi etiam retentio.*
 - (2.) *Effectus retentionis est liberatio ab obligatione.*
3. *Quæ*

- (3.) Quæ tollitur.
- (4.) Compensatione utitur, qui obligatum sibi aliquem habet.
- (5.) Modo debitum sit liquidum.
- (6.) Interest potius non solvere, quam solutum repetere. (agere.)
- (7.) Sic enim non opus est in personam
- (8.) Nec Processui se immiscere.
- (9.) Cum retentio sit facilior.
- (10.) Plus cautionis in re, quam in persona.
- (11.) Retinens gloriari potest: Beati possidentes.
- (12.) Pro defendendo jure retentionis dantur remedia possessoria.
- (13.) Ut ut appellatum, interim usuræ cedunt retinenti.
- (14.) Non tamen hypothecaria, sed extraordinaria tantum datur actio.
- (15.) In effectu tamen retinens æque ac per pignus securus est.
- (16.) Jus retentionis non solvitur per cautionem.

(17.) Lis

- (17.) *Licet fuerit sufficiens.*
- (18.) *Ratio.*
- (19.) *Nec per arrestum.*
- (20.) *Nec per concursum creditorum.*
- (21.) *Donec retinenti satisfactum.*
- (22.) *Retentio vim exceptionis habet.*
- (23.) *Utilitatis publicæ causa sæpe receditur a communis juris regulis.*
- (24.) *Ejus causa etiam retentio introdu-*
- (25.) *Ratio affertur. (Etia.*
- (26.) *Retinens Dominus famulo mercedem exigenti opponit exceptionem solutionis & compensationis.*
- (27.) *Exceptio hæc idem operatur, quod litis finitæ.*
- (28.) *Modo retentio sit justa, & in continenti doceri possit.*

UTi retentio in omnibus casibus locum habet, in quibus admittitur compensatio, ita recte asserimus, quod effectus retentionis mercedis sit liberatio ab obligatione, qua dominus & famulus sibi invicem sunt obstricti, eò tamen istam liberationem tantum extendentes, si causa, uti in præcedentibus dictum,

Etum, ex parte Domini sit justa. Sic enim omnino
locum habebit, quod solutione ejus quod debetur,
tollatur obligatio *L. nulla 5. Cod. de solut. L. solvitur 5.*
ff. quibus modis pignus vel hypotheca quod ampliatur, **3**
quod solutione ejus, quod debetur, nedum tollatur om-
nis obligatio, sed etiam hypotheca; *Alex. Conf. 106*
Bald. Conf. 163. Ex hisce omnino sequitur Dominum
prorsus ab obligatione servi liberari, si per modum re-
tentionis, suum, quod à famulo ipsi debetur, retine-
at, *per Reg:* ubi locum habet compensatio, ibi etiam
retentio. Compensatione autem utuntur, quicumque **4**
obligatos sibi habent eos, qui petunt. Compensatio
namque est debiti & crediti inter se contributio. *L. 1.*
ff. de Compensat., præsupposito tamen uti in præceden-
tibus dictum, quod debitum famuli esse debeat liqui- **5**
dum, si dominus hoc effectu retentionis sc. liberatione
ab obligatione, gaudere, & per retentionem se tueri
velit, quia famulo alias competit exceptio, & ipse in-
debitum docere potest. *L. 25. §. 2. ff. de probat.* Nam
non locum habet retentio, quoties debitum exceptio-
ne aliqua elidi potest. *L. 11. §. 5. ff. de pignor. act.* Domi-
nus enim, utut retineat mercedem, tamen non libe-
ratur, si famulus verus creditor Domini non sit. *L. 27.*
ff. de pact.

Effectus retentionis mercedis ex parte Domini ra- **6**
tione liberationis eò manifestior apparet, quia inter-
est potius non solvere, quam solutum repetere. *L. 3.*
Cod. de solut. L. Si stipulator 55. ff. de fide jussoribus L. 3. ff.
E **de**

- 7 *de compens. L. 171. de R. J.* Sic enim Dominus non tene-
 tur actione in personam agere, si rem vel mercedem
 8 jam retinuerit, nec opus habet difficilibus processibus
 ambagibus se immiscere, cum longe facilius sit, per
 9 retentionem consequi, quod sibi debetur, quam per a-
 ctionem, & majus sit compendium in tempore veni-
 re, quod omnium primum est, de quo vid. *Gædd. ad*
 10 *L. 12. §. 1. n. 6. de V. S., & plus cautionis in re est, quam*
in persona L. plus cautioni. ff. de R. J.
 11 Sic porro dominus mercedem retinens gloriari
 potest de Brocardico illo decantatissimo: Beati possi-
 12 dentes. Usus adest, quod illis, qui justè retinent, den-
 tur pro defendendo jure retentionis remedia possessoria,
 13 *Mev. p. 3. D. 43. n. 1,* ita, ut &, non obstante appellati-
 one, usuræ, interim cedant retinenti, de quo *vid.*
 14 *Mev. P. 4. D. 340.* Quin quamvis jus retentionis effe-
 ctum hypothecæ non habeat, dum creditori ob illud
 actio hypothecaria non datur, sed extraordinaria tan-
 15 tum. *Carpz. p. 1. D. 66.,* in effectu tamen creditor, si justè
 retineat, per retentionem æque ac per hypothecam
 & pignus est securus. Jus quippe retentionis præstat,
 tum securitatem crediti instar pignoris, tum, rationem
 citius faciliusque consequendi. *Mev. P. 2. D. 16. n. 6.*
confer. idem Mev. ad J. Lubec. lib. 1. T. 5. art. 13. n. 45.
 16 Imo & hoc operatur retentio, ut nec per cautionem
 famulus mercedem à Domino retentam impetrare pos-
 sit, cum, quando manifestum est, nondum satisfactum
 esse creditori, qui detinet, cautione jus retentionis non
 sol-

solvatur *Mev. P. 8. D. 437. n. 5.* Licet cautio fuerit 17
sufficiens, cum prius causa retentionis cognoscenda, 18
an liquida sit vel non *Mev. P. 7. D. 165,* quin imo 19
nec per arrestum extinguitur jus retentionis, utut ad
majorem securitatem debitoris illud tendat. *Mev. all. L.*
D. 166. Nec per concursum creditorum aut curatoris 20
constitutionem *Mev. P. 1. D. 172. ibique all. Gail. l. 2. O. 92.*
Sed differt restitutionem rei, donec ea de causa, cur 21
retinere licet, satisfactum sit. Unde exce-
ptionis vim habet, & uti supra dictum, quasi pigno- 22
ris jure facit rem esse penes retinentem, donec debito
potitur. *L. si non sortem 26. ff. §. 4. de Cond. indeb. confer.*
Mev. ad J. Lub. Lib. 3. T. 8. Art. 5.

Cum sæpius utilitatis publicæ gratia recedatur 23
a communis juris regulis *Dan. Otso Cap. 8. de Jure publ.*
& sæpe quædam permittantur, quæ alias sunt inter-
dicta, per *L. ita vulneratus 51. §. multa ad L. aquil.* Sic 24
etiam jura nostra retentionem in determinatis casibus
utilitatis publicæ causa concessisse, nullum est dubium.
Unde & nobilissimus retentionis effectus porro con-
spicitur in publica Reipublicæ utilitate. Notissimum 25
enim est, quod Reipublicæ maxime intersit lites so-
piri nec cumulari, & processus, si evitari possint, evi-
tari, cum jura verecundam ejus nominent cogitatio-
nem, qui lites execratur. Retentionem autem ju-
stam ad evitandum processum conducere supra jam
dictum, quia hoc modo actione personali experiri
ne.

necessum non habemus. Et hac etiam de causa jura
facilius concedunt retentionem quam actionem, *L. 1. ff.*

de pignor.

26 Ex hisce ergo sequitur effectus ultimus ex parte
Domini retinentis, quod servo mercedem exigenti
opponere possit exceptionem solutionis & compensa-

27 solutio & compensatio, & sic per consequens hac exce-

28 ptio idem operatur quod exceptio litis finitæ, quæ
statim actorem a limine iudicii repellit, præsupposito
tamen, si Dominus justam retentionis causam habeat,
& illam in continenti seu intra terminum docere &
liquidare possit. Liquida enim, aut in continenti li-
quidanda in jure pro paribus habentur. *arg. l. fin. Code
de compensat.*

CAP. V.

De Remediis quæ Domino compe-
tunt, si famulus mercedem jam ac-
ceperit, sicque Dominus reten-
tione mercedis sibi consu-
lere nequeat.

SUMMARIA.

(1.) *Omnia remedia in jure prodita pro
re nata etiam Domino contra fa-
mulum competunt.* (2.)

- (2.) *Frequentius tamen contra famulorum obveniunt ex contractu vel delicto.*
- (3.) *Occurrit potissimum actio Conducti.*
- (4.) *Jure Lub. famulus servitia recusans dimidia parte mercedis mulctatur.*
- (5.) *Sed sæpe Dominus per retentionem amplius sibi consulere nequit.*
- (6.) *Ob inopiam etiam famuli sæpius Dominus ad damnum & interesse frustra agit.*
- (7.) *Malitia tamen famuli est coercenda.*
- (8.) *Per implorationem Officii Judicis famulus potest arrestari.*
- (9.) *Carceri includi.*
- (10.) *Corporaliter & relegatione plecti.*
- (11.) *Famulus servitia recusans similis desertori est.*
- (12.) *Peccat eo gravius ob majorem fidem Domino debitam, quam frangit.*
- (13.) *Eodem remedio famulus coercetur si ante finitum tempus discedat.*
- (14.) *Famulus tempestive resignare tene-*
tur.

- (15.) Si plane auffugiat famulus dicto modo coerceri potest.
- (16.) Et dominus præteritam mercedem retinere & solutam repetere potest.
- (17.) Una cum mulcta & vestimentis.
- (18.) Servus fugitivus in ædibus alienis inquiri potest. (potest.)
- (19.) Fugiens propria autoritate capi
- (20.) Jure Lub. 14. dierum carcere cum carena insuper plectitur.
- [21.] Si nullo modo emendari se patiatur, ad Remedia juris communis supra dicta confugiendum.
- [22.] Domino ob damnum adversus famulum competit Actio L. Aquiliae vel in factum.
- [23.] Et si res sit amissa à famulo, simul Rei Vindicatio institui potest.
- [24.] Nisi dominus sciverit, servum damnum inferre & non prohibuerit.
- [25.] Ratio ejus.
- [26.] Eadem remedia obtinent si famulus in custodia sibi commissa quid neglexerit.

[27.] Et si dolus intervenerit etiam
pœna corporis afflictiva obtinet.

[28.] Dominus adversus servum agere
potest actione furti & conditione fur-
tiva. (criminaliter agitur.

[29.] Ob furum inopiam hodie plerumq;

[30.] Ob indicia etiam ad torturam
deveniri potest.

(31.) In genere omnia remedia pro dita
domino, contra servum delinquen-
tem competunt.

(32.) Præter hæc etiam dominus gaudet
potestate servum ea propter expellendi.

(33.) Quod applicatur ad reliqua delicta.

(34.) Nos tantum ostendere volumus,
Dominum, si retentio locum non habe-
at, sibi tamen aliis remediis consulere
posse.

(35.) Conclusio.

DE remediis juris acturi, quibus Dominus si ser-
vus mercedem jam acceperit suam consequi
possit, omnino generaliter statuimus, quod o-
mnes

omnes actiones, quæ in jure sunt proditæ, pro re natâ
 Dominus contra famulum instituere possit, siue reales
 sint, siue personales. Quoniam autem actiones illæ
 sat notæ sunt, in illis singulis investigandis immorari
 necesse non erit, sed sufficiet, si aliquas, quæ potissi-
 mum & frequentius Domino contra famulum obveni-
 unt instituendæ, ut sunt ex contractu vel delicto, quo-
 ad nostrum casum tantum adducamus. Inter has au-
 tem potissimum occurrit actio conducti, quæ Domino
 competit, si servus post initum cum Domino contra-
 ctum locationis & conductionis, servitia seu operas,
 quas domino locavit, præstare recuset, ad illas præ-
 standas & adimplendas, cum refusione omnis damni
 & interesse, quanti scilicet Domini interest illas esse ne-
 glectas. Ad hoc igitur resarciendum, dominus uti qui-
 dem retentione mercedis potest, de qua egimus, unde
 etiam *jure Lub.* famulus servitia recusans dimidia parte
 mercedis multatur, *Mev. ad J. Lub. L. 3. T. 8 Art. 6. n. 7.*
 Sed hoc capite loquimur de eo, si per retentionem.
 Dominus sibi consulere nequeat. Insuper cum autem
 sæpius ob inopiam famulorum Dominus ad resarcien-
 dum damnum frustra ageret, sicque actio inanis foret,
 interim tamen malitia servi coerceri debeat, cum Rei-
 publicæ intersit delicta puniri, Dominus sibi facilius
 consulit, si per implorationem officii Judicis, adhibita
 Magistratus opera, famulum corporali arresto con-
 stringi, & si castigatione, quæ modicè dominis con-
 cessa,

cessa, famulus se emendari non patiatur, carceri inclu- 9
di, imò si hâc etiam pœna famulus ad sanio- rem re-
dire mentem nolit, pœna corporis afflictiva, vel re- 10
legatione affici petat. Uti enim hâc pœna in desertione 11
omnino locum habet, servus autem domino servitia
recusans, utique desertori similis est, eo magis hoc ca-
su illa locum habebit, præprimis cum hoc delictum eo 12
gravius est, quo majori fide famulus Domino, ceu
correlato suo, est obstrictus, hic autem maximum ad-
est delictum, cum servus fidem erga Dominum fregerit
cui vicissim, ut fidem frangenti, fides non est servan-
da *L. 54. §. inter locatorem 1. ff. locati. L. qui fidem 16. ff. de*
transact. Eodem hoc remedio dominus uti potest, si 13
famulus ante finitum locationis tempus ante resigna-
tionem ex servitio discedat. Quamvis enim de Jure
civili famulus resignare ante tempus finitum non te-
neatur, de consuetudine tamen, quæ instar legis est 14
famulus tempestivè Domino resignare est obligatus.
Antea enim operam suam alteri locare, & illi se obli-
gare non potest, *per L. 26. ff. locati.* Idem dicendum, 15
si famulus planè aufugiat, cum fuga famuli dominis
ex quacunque causa damnosa esse non debeat; *L. 1. Cod.*
de serv. fugit; quo casu dominus non modo pro præ- 16
terito tempore, non tenetur solvere mercedem, sed
etiam quod prænumeravit, repetere potest, una cum 17
mulcta, & vestimentis, quæ ipsi dedit *Mev. ad J. Lub.*
lib. 3. Tit. 8. art. 5. n. 20, quinimo, si servus aufugiens
F de.

F

de.

deprehendatur ; utpote illum in ædibus alienis in-
quirendi facultatem etiam Judex Domino facere
19 debet *L. 2. Cod. de serv. fugit & fugientem propria auto-
ritate capere licet*; amissione mercedis plectendus
20 est, & mercedem restituere cogi potest, aut pati qua-
tuordecim dierum carcerem cum carena, & in exem-
plum, ob delictum ipsum gravi supplicio dignum, car-
ceri includendus, ne talis petulantia tandem in publi-
cam perniciem excrefcet. *Mev. ad J. Lub. lib. 3. T. 8.
21 art. 9.* ubi fusius hoc deduxit. Quod si nullo modo ad-
duci servus potest, ut emendari se patiatur, ad remedia
& pœnas supra recensitas recurrendum, ubi ex jure
communi Domino consuli & famulus coerceri potest.
22 Cum admodum frequens sit, Dominis a famu-
lis inferri damnum, omnino domino remedia ad illud
resarciendum prodita competunt, & sic etiam actio
ex Laquil. vel in factum. Nec refert, an famulus ipse
damnum intulerit, an occasionem damni dederit, cum
hæc sint eadem, & sufficiat, quod famulus fuerit in
culpa, cum non præviderit, quod prævidere debuisset.
Brunn. ad L. 30. ff. ad L. aquil. & dominus hoc casu non
23 tantum ad damni restitutionem agere, sed simul si res
sit amissa, rei vindicationem instituere potest *L. 14. ff.
24 de R. V. ibique Brunn.* Secus tamen esset, si dominus
sciverit, damnum a servo dari, nec prohibuerit, cum
25 prohiberi debuisset. Tunc enim dominus sibi impu-
tare habet, & ipse damnum fecisse censetur, cum sci-
en-

entia ejus pro facto & ratihabitione habeatur L. 1. §. 1.
L. 5. ff. si famul. furt. fecisse dicatur. Eadem remedia contra²⁶
famulum obtinent, si famulus in commissa sibi custo-
dia, ratione cujus ob mercedem promissam de culpa
levissima tenetur, aliquid neglexerit, quippe quæ cul-
pa ex natura contractus est præstanda, quod eo usque
etiam extendit *Dn. Brunn. ad L. 8. ff. de custodia & ex-*
hibit. reorum. Quodsi dolus intervenerit, etiam poena²⁷
corporis afflictiva, imo capitale supplicium locum ha-
beat. *Idem all. l. & per ibidem allegatum art. 180. Const.*
crim. Secus si culpa tantum aut negligentia adsit, ubi
carceris tantum, aut poena pecuniaria obtinet *all. l.*

Si furtum famulus commiserit, constat, quod do-²⁸
minus actione furti agere possit, ad poenam dupli vel
quadrupli, vel etiam condictione furtiva ad repeten-
das res furtivas cum omnibus omnino fructibus L. 8. §.
2. ff. de Condict. furtiva omniqve interesse. L. 3. ff. de con-
dict. furtiva. Sed cum furum magna sit copia, hodie²⁹
plerumqve criminaliter agitur, & ad poenas ibi statu-
tas recurritur. Si autem eveniat res ablatas adhuc
existare, Dominus dictis remediis sibi consulere potest,
modo certus sit famulum res abstulisse. Si tantum in³⁰
dicia adsunt, ea antea executienda sunt, ita ut etiam
ad torturam deveniri possit. Id quod etiam statutum
si servus fugitivus abstulisse quædam censeatur ex re-
bus domini & constet, dominum bona habuisse, *Mev.*
ad J. Lubec. Lib. 3. Tit. 8. art. 9.

F 2

Uti

Uti ergo delicta frequentissime a famulis perpetrantur, inde etiam Domino ea propter actiones inde oriundæ competunt, quæ omnia autem recensere supervacuum erit, cum hæc materia in compendiis juridicis tuse sit pertractata. Id tantum addimus, quod præter talia remedia Dominus potestate gaudeat famulum delinquentem è domo expellendi, de quibus inter alia exemplum affert *Brunn. ad L. 1. ff. de U. & H.*, scilicet si conductor meretrices in domum inferat, quod applicari ad reliqua delicta omnino potest, & sic etiam ad delicta servi. Quæ restant, remedia omnia, quæ Domino contra famulum competunt, non recensemus, cum in jure illa prostent. Sed satis sit quod aliqua, quatenus in famulis maxime occurrunt, adduxerimus, ostensuri tantum, dominum, si occasio mercedem retinendi ipsi deficiat, aliis tamen remediis coercere famuli malitiam posse. Hæc pro ratione temporis & proposito nostro sufficiant. Sit

TRIUNI DEO GLORIA!



Ad

AD
PRÆNOBILISSIMUM & CONSUL-
TISSIMUM
DN. DOCTORANDUM,
AMICUM SUUM ÆSTIMA-
TISSIMUM.

EX eò , quod notitiam Tui con-
trahere mihi datum fuit, *PRÆ-
NOBILISSIME DOMINE
DOCTORANDE!* Tuæ me Cha-
rites & morum venustates, Tibi
devinctissimum reddidere. Acces-
sit Optimi Tui PARENTIS, Tuo-
rumque, Quos magni semper habui,
eòque caractere penes illos vicif-
sim usus sum, desiderium. Possem
quoque quæquæ meum, stu-
dia Tua promovendi, studium, in
computum arcessere, nisi flebile
Personæ suæ gallicinium ac præma-
turus Tuus, è Scholis nostris dis-
cessus obstaret. Quicquid sit, omni
F 3 tamen

tamen ratione mihi charus manes,
maximè tamen, ubi ex Academiis
exteris, penes quas magna cum lau-
de versatus es, comptissimus redux
factus, Fictis Nostræ Scrutinio, cum
Applausu, Temet subjicis, & Inge-
nii Tui acumen, quod non ultimi
Commatis semper in Te deprehen-
di, ad AKMHN, sub tenui nostro di-
rectorio, ducere gestis. Et, quam
vellem! ut in laudes Tuas per mo-
dum vitæ curriculi parumper ex-
currere liceret, quò publicè consta-
ret de Tuis Tuorumque meritis:

*Nec me Carminibus superaret Thra-
cyus Orpheus.*

At prohibet singularis Tua, quam
mihi exposuisti, modestia, nec alio
calcari quam propriâ virtute inci-
tari cupis. Interim summovere vix
poteris

poteris, quin tamen publicum Te
videat, nobis licet silentibus, adeo-
que lucri neglecti lucrum Tibi de-
properet; Sicuti enim victoria Te-
stes amat, ita Testes Cathedræ
publicæ [quam hodie dissertatione
Tua eruditâ, proprio Marte elabo-
ta, animas] famam Tuam uno ore
ebuccinabunt. Date veniam, iniqui
Censores, qui nimio me amore cor-
reptum aut blanditiis corruptum ar-
bitramini. Quod admittitis, nihil
est: Scilicet, ubi rerum testimonia
adsunt, nulla opus hæsitazione; nec
mihi hedera suspendenda, quando
Ipsa loquitur virtus:

*Nil opus externæ cupiens, nil indiga
laudis.*

Maeste saltem Tuâ Præstantiâ Do-
ctissime DNE, SEITZI! Ego de ho-
nori-

noribus Tuis, quo minus delectaris,
eò magis Tibi gratulor, & sincerè
voveo, ut meritis Tibi Tuis digna
eveniant, & expleas porro, omni ex
parte, vota Tuorum & bene Tibi
cupientium, semperqve Tibi nova
accessio laudis contingat & evehat.
Sicq; vitam in securo littore tran-
sige, & ut facis, meqve meosqve
Tibi commendatos habe. Vale &
Fave

T. T.

RostochI, d. II. Mart,
A. MDCCXXI.

PRÆSIDI & BRA-
BEVTÆ.

